

429

427

433

423

438

418

478

378

528

328

Ende

Anfang

418

narum provinciarum homines expulstis et hospitalitatem abnegastis,
ecce, ego ipse ad tempus hospitatus apud vos transmigro ad
quendam locum transmontanum, quem elegi. Et his dictis (**b**)
disparuit peregrinus. Barcarius vero renavigans Venetias haec
duci et senatui nuntiavit, per ordinem seriem gestae rei dicens.
Qui currentes ad sarcophagum evangelistae eum vacuum invene-
runt et patronum a se recessisse intellexerunt tum propter in-
hospitalitatem tum etiam propter ducis inhonestatem, qui cum
uxorem suam Johannam exosam haberet et aliam amaret, suam
coēgit monachari eamque in S. Zachariae monasterio monialium
ordini S. Benedicti intrusit et cum alia amata contraxit, quam
ob rem indignati affines adversus eum conspiratione facta in ipsum
populos concitaverunt, qui eundem dejicere cupientes, cum ille
se in palatio tueretur, injecto igne, pice et sulphure mixto, ipsum
et uxorem cum filio, quem simul habuerunt, et palatum et eccle-
siam S. Marci, S. Theodori, S. Mariae in Rubinaco et plusquam
CCC civium domos combusserunt, et si S. Marci corpus adhuc
in ecclesia fuisse, incineratum et consumptum fuisse, cuius mali
praescius sanctus praevenit tempus et in Alemanniam ad Sueviam
transmigrans ad insulam Rheni, Owiam, quae est inter duos lacus,
se recepit, ubi hodie in veneratione habetur in monasterio quon-
dam celeberrimo ordinis S. Benedicti. Alii dicunt de translatione
corporis S. Marci in Owiam, quod quidam monachus de eodem
monasterio fugitus venit Venetias et opportunitate inventa
corpus sacrum furatus tulit et ad monasterium suum Owiam illud
portavit, placatum abbatem habuit et monasterium ultra modum
dotatum fuit, et jam non Owia, sed dives Owia dicebatur. Haec omnia
de translatione illa S. Marci non legi in aliquo libro nec scriptum vidi,
sed a mercatoribus et vulgaribus auditu didici. Sed tandem in libraria
nostrorum fratrum in Eslingen reperi antiquam chronicam in per-
gamento scriptam, in qua sic habetur de translatione corporis S.
Marci: corpus S. Marci evangelistae sub nomine Valentis martyris
Ratolphus Veronensis episcopus a duce Venetiae impetravit et
cum corpore Genesii martyris in Augiam insulam attulit. Haec
ibi. In margine ponitur annus ab incarnatione Domini M.XXX^o.
Secundum haec dicta, si scriptor non errat in annorum Christi
numero, corpus S. Marci non mansit Venetiis nisi XX annis ab
eo tempore, quo delatum fuit ab Alexandria Venetias. Porro Ve-

